

I. N. I.  
LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
Eumque  
Ad  
**ANATOMEN**  
Publicam,  
Cadaveris Masculini,  
officiose invitat  
**PAULUS GOTTFRIED.**  
**SPERLING, D.**  
P.P. et Arch. Anh.

*Anatomica Observations.*

Anat.

A.

228, 16

Disj. nat. 69.

VERMOTIA



## I. N. I.



Vod anno superiori de cadavere  
hominis cuiusdam salacis, cui se-  
ctio publica erat destinata, in so-  
lenni spectatorum invitatione, su-  
spicatus fueram, fore, ut peculia-  
rem vasorum spermaticorum stru-  
eturam nobis exhiberet, illud, a  
vero non omnino alienum fuisse, eventus comprobavit,  
et noverunt, qvi publicis ipsis demonstrationibus inter-  
fuere. Binas enim arterias spermaticas, in dextro la-  
tere, ex arteriae magnae anteriori parte oriundas, ob-  
servavi, et eas praesentibus ostendi, cum alias commu-  
niter

A 2

niter unam saltim in uno latere liceat animadvertere. Interdum, si duplex adest arteria spermatica in uno latere, una saltim ex trunco arteriae magnae, tanquam loco ordinario, altera ex emulgente, sive renali arteria exoritur, quod apud *Verbeyen in corpor: human. anat.* p. 163. literis legimus consignatum. Videtur autem omnino benigna natura, ubi harum arteriarum numero luxuriat, aliquam lasciviae praebere occasionem, qvacunqve etiam parte oriantur, qvia illa subiecta maiori seminis copia abundare possunt, qvatenus plures arteriae testibus largiori sanguinis arteriosi proventu prospiciunt. Ubi tamen ambae unius lateris arteriae spermaticae ex trunco arteriae magnae egrediuntur, ibi plus ad veneros stimulos augendos conferre possunt, qvia fortior arteriosi sanguinis impulsus est, mediante cordis motu excitatus, qvi per lineam rectam propellitur, qvam qvi per ambages et renales arterias ad testes adigitur, cuius impetus aliqualiter obtunditur. Videmus enim venas spermaticas per ambages, ex testibus sanguinem revehere, et, tortuosum motu latas, corpora Pampiniformia et Pyramidalia formare, cum contra arteriae in homine ductu fere recto ad testes tendant, eum saltim in finem, ut redditus venosi sanguinis ex parte sufflaminetur, et arteriosus in testibus moras negetendo, uberiori seminis secretioni inserviat. Hinc ubi venae spermaticæ utrinque emulgentis sunt soboles, homines in Venerem magis pronos possunt reddere, qvod nonnullorum observationes comprobant, et in primis *Riolanus Antropogr. L. II. c. 27.* docet, qvando spermaticarum venarum insertiones in renales, in utro-  
qve

qve latere, in hominibus observavit, qvi ob excessus in Venere, ultimo supplicio affecti, ante mortem de facilitate inexhausta fuere conquesti, qva satiari vix potuerunt.

Hic autem vasorum spermaticorum lusus aliam arteriosi cuiusdam vasis, longe maioris, extraordinariam insertionem mihi in memoriam revocat, a paucis forte notatam, et eo nomine dignam, ut eius mentionem faciam. Fuit vero illa in Arteria Cervicali sinistra, qvae non, uti communiter fit, ex Subclavia sinistra exoriebatur, sed ex ipso trunco Arteriae magnae, eiusqve parte superiori, ubi arcum format, intra exortum Carotidis sinistrae et Subclaviae eiusdem lateris, recto tramite, sursum vehebatur. Haec itaqve insertio peculiaris, an pariter extraordinario gaudeat usu, qvi ex Artis Mechanicae legibus demonstrari possit, non omnino possum affirmare. Posset tamen illa forte celeriorem arteriosi sanguinis ascensum in caput iuvare, cum isto modo magis per lineam rectam feratur, licet acclivis corporum ascensus, in libero aere, sit difficilior, unde uberiorem sanguinem arteriosum cerebro et spinali medullae communicando, lymphae qvoqve nervorum, sive spirituum animalium, largiorem secretiōnem promoveret. Hinc etiam audaciam vultu prodere videbatur juvencula, in qva, furti criminē, se excusse crederes, qvando de die aedes intrare et aliena rapere ausa fuit, plagis etiam et vulneribus non emendata.

In eodem cadavere, praeter iam laudatam Arteriae Cervicalis extraordinariam insertionem, plura

notatu digna se mihi offerebant, quae silentio premere non possum; quo tamen defectum musculi pyramidalis dextri, in abdomine, non refero, cum ab aliis quoque hic musculus saepius desideretur. Nec est, cur prolixus sim, in nervosarum inscriptionum, Musculorum abdominis Rectorum, impari numero recensendo, ubi dexter quatuor inscriptionibus nervosis, sinister vero tribus gaudebat, cum quarta inscriptio dextri recti, forte defectum Pyramidalis dextri ex parte suppleverit. Uterus autem erat, qui prae omnibus in hoc subiecto monstri quid alebat, et mole a statu naturali ita recedebat, ut cavitas eius ovum gallinaceum capere potuisset, quae communiter, extra impregnationem, vix amygdalum capit, unde, paulo ante obitum, abortum paissam fuisse foeminam istam, crediderim. Confirmabat nos in hac suspicione ovarium sinistrum, in quo nigra apparebat macula, nuclei cerasorum quantitatem fere superans, et versus exteriorem ovarii partem extuberans. Quanquam enim nec foramen in tunica ovarii, quo ovum exierat, conspicerem, nec post apertum ovarium, substantiam illam glandulosam, luteo colore tintam, quae ovum in ovario fovet et excludit, ac post congressum melius comparet, post exclusum vero ovum evanescere dicitur, cernere licet, forte ob corruptionem imminentem; cavitatem tamen notabilem, in illa ovarii parte, mecum omnes advertebant spectatores, ex qua ovulum sine dubio fuerat extrusum.

Longe vero aliam faciem nobis exhibebat ovarium dextrum, eiusdem cadaveris, ut, in rarioribus naturae

naturae phaenomenis sistendis, cum sinistro qvasi certare, et ei palmam dubiam reddere voluisse videretur. Illud enim sua laborabat mole, et dextrum evidenter superabat; atq; apertis integumentis eius, lympham qvandam flavescentem fundebat, saltu prodeuntem, qvae si collecta fuisset, facile cochlear unum vel alterum replevisset. Laborasse itaque iuvenculam istam, qvae vix vigesimum aetatis annum superaverat, incipiente ovarii, vel ovuli hydrope, nemo facile intelligens negaverit. Qui enim novit, ovula in ovario, liqvore qvodam seminali limpido, per arterias spermaticas et hypogastricas delato, naturaliter turgescere, cui embryo sua debet incunabula, et in qvo sopita eius iacent stamina, cujusque pars superflua per lymphatica vasa adsum fontem, ex qvo dimanavit, revehitur, ille facile sibi persuadebit, lympham istam in praeternaturali statu, vel proprio, vel vasorum vitio, posse stagnare, et in tenera parte vel ovario cumulari. Hinc acutissimus *VVepfer* ex ovarii duarum foeminarum, hydrope ovarii affectarum, ultra centum libras seri corrupti collegit, et Clarissimus *Ryssbius* ova ovarii in tantam aliquando molem praeter naturam aucta fuisse vidit, ut infantis caput non raro superaverint, qvale exemplum *obserb. 17. p. 22. in Observationibus Anat. Chirurg.* literis consignavit. Idem *Kerckringius Spicilegii Anat. Obs. X.* recenset, qvi qvidem tumorem istum, testiculi sive ovarii sinistri locum occupantem, et magnitudine ovum anserinum superantem hydatidem appellat, qvem, si aqua integumentis ovarii fuit inclusa, hydropem ovarii nominare potuisset.

Cum

Cum itaqve iucundus aeqve sit labor, qvi secti-  
nibus humani corporis impenditur, ac usū qvoqve pol-  
leat maximo, atqve saepius aliquid notatu dignum  
manifestet, operaे omnino pretium videtur, ut oblatam  
occasione marripiam, et denuo magnum istud opus ag-  
grediar, atqve officii memor, corporis nostri structu-  
ram publice demonstrem. Accedite igitur, NOBI-  
**LISSIMI ARTIS SALUTARIS STUDIOSI**,  
et omes, quibus sui ipsius cognitio cordi est, atque illam  
machinam, in qua sapientissimi stupent, mecum con-  
templamini, cum structura eius, plane singularis, etiam  
barbaros in admirationem sui rapiat. Qvam subito la-  
batur aetas, et qvam instabilis vita fit, qvam hic transi-  
gimus, qvamqve multum contra et inexhaustum fit,  
qvod ingenio Medici, in hac Artis nostrae parte, perquì-  
rendum objicitur, omnes noveritis, unde juventutis  
qvaeſo florem illis artibus impendite, qvibus, cum tem-  
pore, humano generi queatis inservire. Ego in eam cu-  
ram incumbam, ut, qvae mearum sunt partium, agam,  
et Dominorum Spectatorum desideriis satisfaciam, eo-  
que nomine laborem, cum Deo, hora tertia, post me-  
ridiem, auspicabor. Si vero PROCERES ACADE-  
MIAE et tota NOBILISSIMORUM DOMI-  
NORUM STUDIOSORUM CORONA,  
demonstrationes nostras sua praesentia dignas iudicave-  
rint, facient rem nobis gratissimam, omni studio ac opera  
demerendam. P.P. Wittebergae, die 14. Iulii, 1703.

---

Praelo GERDESIANO.

Utrat A 228, 14